Fragmentarium

qui non renuntiat omnibus quae possedit non potest meus discipulus. Omelia lectionis eiusdem.

Si consideremus fratres karissimi quae et quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis vilescunt animo omnia quae habentur in terris. Terrena namque substantia supernae felicitati comparata pondus est non subsidium. Temporalis vita aeternae vitae comparata mors est potius dicenda quam vita. Ipsae enim cotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis? Quae autem lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit illa supernae civitatis quanta sint gaudia angelorum choris interesse cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris assistere praesentem dei vultum cernere incircumscriptum lumen videre nullo mortis metu affici incorruptionis perpetuae munere laetari? Sed dum haec audita inardescit animus iamque illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere sed ad magna praemia pervenire non potest nisi per magnos labores. Unde ad se venientibus veritas dicit: Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores adhuc autem et animam suam non potest esse meus discipulus. Sed cunctari libet quomodo parentes et carnaliter propinquos praecipimur odisse qui iubemur et inimicos diligere. Sed si vim praecepti perpendimus utrumque agere per discretionem

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. 1014, Cod1014_190c_r – Homiliarium
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-asok/2536/39746)